



Dispp. Thh. Vol. 1.



Oelth 61 Q (1-34)

2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
R





ΟΙΚΟΝΟΜΙΑ

# CLAVIUM REGNI

COELORUM;

*Solo Illo Hero,*

Deo ac Domino nostro IESU CHRISTO  
annuente,

*Sacris è tabulis repetita;*

ut

Super illius *κατηχησας*

PRÆSIDE

## VVOLGANGO CRELLIO

D. Theologo, & Professore;

RESPONDENTE

## NICOLAO MEZ ÖLAKI

Ungaro.

*Ad XVI Kal April.*

In Illustri Academia Francofurtanâ

Fidei domesticis

*Liceat*

In timore DEI *παρασώζονται.*

---

*Exscripta Typis*

JOHANNIS EICHORNI Typothetæ.





*Illustrissimo Domino,*  
DN. STEPHANO BETHLEN,  
Transylvaniæ, partiumq; Regni Hungariæ  
Gubernatori; Comitatus Maramarosensis  
& Huniadiensis, nec non Siculorum  
Comiti. &c.

Domino suo Clementissimo.

*Generoso item & Gratosissimo*

DN. IOHANNI CASPAR,  
Serenissimi GABRIELIS, Dei gratiâ S. Rom.  
Imperij, Transylvaniæ, partiumq; Regni Hungar. Princ.  
Siculor. Com. ac Oppoliæ Ratiboriæq; Ducis, &c.  
Curiz Magistro: nec non primario Judici Regio  
Marosvasarhelienfi,  
Patrôno suo maximo,

VT ET

*Generosis Dominis,*

Dn. { ANDREÆ CZEHI,  
WOLFGANGO DELI,

*Evergetis suis benignis.*

Dn. { *Reverendis deniq; ac Claris. Viris*  
STEPHANO MILOTAI.  
STEPHANO GELEI.

{ *Aulicis Ecclesiasticis,*

*Favitoribus optimis.*

Dn. { PETRO VACI  
MARTINO SZILVASI.  
FRANCISCO CZEPEI.

*Præceptoribus quondam suis meritissimis:*

humili obsequio, observanti

animo  
s.





Vod Vinitori suo benè culta vine-  
neta, seminatori seminaria, olera oli-  
tori debent: Illustris. D. D. COMES  
Generose, Generosi, Reverendi, Cla-  
rissimi Viri: Hoc me debere VOBIS E-  
VERGETIS libens & fateor & agnosco.  
Debent a. *illa* plantantibus fructum,  
rigantibus lucrum; ambobus grati-  
am. Gratitudinem igitur ego debeo: omnibus meritam,  
singulis æquam: Et ut debeo, ita *primitiarum Sacratarum*  
isthac oblatione, BONA MENTE BENEFECTORIBUS, sol-  
vo. Impulerunt me causæ non leves, seu publicæ, seu  
privatæ. PUBLICAE; quoniam Ius vindicandi no-  
men DEI à contemptu, armis licet diversis V. V. V. E-  
minentijs & Reverentijs, à DEO est delegatum. PRI-  
VATAE quoniam CHRISTI & V. auspicijs ACADÉ-  
MIAM GERMANIAE ingressus Illustrem, Ius illud qua-  
le sit, quorum sit, quos tangat, ex sacro diplomate,  
PRAESIDE CLARISSIMO facem præferente, discere  
institui. Suscipite igitur hoc quale quale *δῶρον*, quod  
fert pro Tempore vester agellus: Et Studijs Clientis  
vestri, in *γροσγία* DEI sudantis clementiam & favorem  
vestrum aspirantes, in Domino VALETE quàm diu-  
tissimè.

V. V. V. Celsit.

Gener: Reverent.

Clarit.

subjectifs. ac dedit.

NICOLAUS MEZÖLAKI  
Respondens.





## Ad Mæcenatem.



Octacita volvit Nicolaus men-  
te frequenter

Quare ad Marchiacos hos remea-  
rit agros?

Scilicet ut lustret doctarum lustra  
Sororum

Impiger Aonijs invigiletq; choris.

Cymbula quò Christi varijs agitata procellis

Ipsò etiam tutum remige carpat iter.

Pannonijs oris sano pro dogmatis usu

Intrepidus certans lata trophea ferat.

Ac obstet furijs cincto rasisq; tyranno

Turmis, quæ turbant arte doloq; gregem.

Agminis infecti scelerata sophismata solvat,

Horreat & cautus toxica mista bonis

Theiologos ergo inde sibi devincit amore

Et sua divino nectare labra foveat.

Hoc gestit sacras multum sudando per artes

Consequier, studium Jova secundet,

Amen.

CASPAR GELEI.





OIKONOMIA  
CLAVIUM REGNI COE-  
LORUM.

**S**PLENDIDA Servatoris promissio est,  
(a) quum (b) uni pro omnibus respondens  
PETRO respondens CHRISTUS; Tibi,  
ait, dabo claves regni cœlorum: Et  
quicquid ligaveris in terra, erit liga-  
tum in cœlis; & quicquid solveris in ter-  
rà, erit solutum in cœlis.

(a) Math. 16. v. 19. (b) Matth. 16. v. 15, 20. Chrysof.  
Hom. 55. in Matthæum: Augustin. de verb. Domi-  
ni Serm. 13.

II. Quam verò ampla fuit & dives promissio Christi  
Servatoris; tam ambitiosa fuit super eâ ostentatio simul &  
contentio Filij perditionis: qui & subjecto mutato, SE  
IPSUM dominum: & prædicato distorto, PRIMATUM  
dominij, Phocâ Imperatore, in Bonifacio Pontifice ex-  
tollere (c) volens, eâdem operâ corrupit, perdidit utrumq;

(c) Sigebert. in chron. ad Ann. DC. VII.

III. Subjectum; quoties aut Petro soli, aut principa-  
liter & immediatè Petro; reliquis Apostolis mediatè pro-  
pter Petrum; Sibi autem Romano Pontifici, ut successori  
Petri factam, loco Petri, promissionem contendit. (d)

(d) Bellarmin. Tom. 1. de Rom. Pontif. lib. 1. cap. 12.

IV. Prædicatum; quoties promissis clavibus POTE-  
STATEM promitti, seu summam in omnem Ecclesiam: (e)  
seu Monarchicam: (f) & præter eam temporale etiam  
dominium autumat: Id quod sexcentis annis ignotum,

A

postea



postea paulatim obtinuit, vi partim aperta, partim (g) fraude, & donatione ficta. (b)

(e) Bellarm. Tom. 1. lib. 1. de pont. Rom. cap. 13. (f)

Id. Ibid. cap. 10, 11, & 12. (g) Confer Ursbergens. in

Ann. Christi DCCLIII & MCCXXVIII. (h)

Laur. Valla de suppos. donat. Constant.

V. Sed nec illa mens est promittentis Christi: nec heic firmabatur principatus Pape Romani: nec mediocris tamen seu illic super sensu; seu hic super primatu partium dissidentium contradictio. Opera igitur pretium facturi videbimur, si ad eruendum genuinum sensum verborum Christi; & ad evertendum Pape primatū dominij, seu Cur Turrecremata (i) ait) autoritativum: deniq; ad formandum vindicandumq; Ecclesie ministerium; (quod utut abusu banni papistici, & Viro Banni exosum factum, in usum tamen, Ecclesie & peccantium bono, revocandum (k) est.) doctrinam de CLAVIBUS REGNI COELORUM in timore Dei examinemus.

(i) Turrecrem. summ. de Eccles. lib. 3. cap. 23. (k)

2. Cor. 10. v. 8. & 13. v. 10.

VI. Quod ut fiat ordine, negotium totum de consilio Augustini, (l) in doctrinam Signorum & Rerum partitur: primo loco περί ονόματος: Secundo, περί πείραστος. questuri.

(l) August. de Doctr. Christ. lib. 1. cap. 2.

VII. Dominus JESUS, qui ministerium verbi, non regni principatum, toti Ecclesie dedit: is clave sua (m) mentem aperiat Scribarum & Oeconomorum suorum: quibus illi docti in regno caelorum è thesauris suis nova & vetera proferant prudenter: (n) Hi functione sua fungantur fideliter, fortiterq; (o)

(m) Apoc. 3. v. 7. (n) Matth. 13. v. 52. (o) I. Cor. 4. v. 1, 2.





CAPUT I.  
De Nomenclatura Clavium.

I. Clavium ὄνομα, ἀπὸ τῆς κλειῆς ductum, in scripturis Sanctis duplici significatione legitur: Unâ; NATIVA: alterâ; MODIFICATA.

II. Nativâ; pro ORGANO, claudendis & aperiendis adytis idoneo, (a) que non promiscuè omnibus patere volumus: Sicut Rerum Domini, arces muniunt seris: Patres familiâs, thesauros claustris: Oeconomi fidi, scriniis, arculis, armariis, que clavium adminiculo referantur.

(a) Judic. 3. v. 25.

III. Modificatâ; pro POTESTATE: Eâq; vel Domini, que propriè: vel Ministerij, que impropriè potestas dicitur: prout Clavium nomine absoluto, quandoq; Dominium, quandoq; Ministerium representatur.

IV. Dominium quidem; vel Absolutum Omnipotentix; quale Dei (a) filij ab aeterno (si non quoad relationem, at quoad fundamentum) (b) fuit: aut excellentix; quale Mediator Christus in tēpore accepit: Quo sensu Christo Ἰεσὺς ὁ πῶς clavis Davidis, (c) clavis abyssi, (d) clavis inferorum & mortis, (e) hoc est omnis potestas in cœlo & in terra, (f) eaq; universalis, perpetua, monarchica, & propria, tam ad exercenda judicia, quàm ad distribuenda beneficia, tam extra, quàm intra Ecclesiam, defertur.

(a) Jud. v. 4. Apoc. i. v. 8. (b) Thom. in 1. a. q. 13. artic.

7. in Resp. ad. 1. (c) Apoc. 3. v. 7. (d) ibid. c. 20. v. 1. [e]

Apoc. 1. v. 18. (f) Matth. 28. v. 18.

V. Vel Limitatum, cùm exequendorum judiciorum, tum administrandarum rerum publicarum: Quo sine ex Angelis Apollyoni datur clavis abyssi: (g) ex hominibus





Eljakimo (Schebna suffecto, eiq; non Sacerdoti, sed aule Regie (b) thesaurario) clavis domus David promittitur, (i) humero ejus imponenda. *Quae tamen imperandi, vetandi, permittendi, puniendi; deniq; quicquid justum efficiendi, quicquid injustum cobibendi potestas, certis legibus alligatur.*

(g) Apoc. 9. v. 1. (h) Esa. 22. v. 24. 2. Reg. 18. v. 18. (i) Esa. 22. v. 21, 22.

**VI.** Ministerium autē quando claves significant, jam aut interpretandarum scripturarum: (k) aut censurarum agendarum potestatem (l) designant. *Quo modo Theologi nunc generatim, nunc speciatim hac voce utuntur.*

(k) Luc. 11. v. 52. (l) Matth. 18. v. 18.

**VII.** *Generatim; pro potestate Ecclesiae tota, tam circa Doctrinam (ll) principiorum & dogmatū religionis: quae non est facultas statuendi, mutandi, abrogandive fidei dogmata & cultus; (m) sed discernendi, (n) interpretandi, (o) praedicandiq; (p) incorrupte verbum Dei autoritas: quam circa Disciplinā, quae cum in legibus decori & ordinis gratiā ferendis, qualis est Nomothetica; tum censuris Ecclesiasticis peragendis, qualis est Critica, consistit.*

(ll) 2. Cor. 10. v. 8. (m) Galat. 1. v. 8. Act. 26. v. 22. Deut. 4. v. 2. & 12. v. 32. Esa. 8. v. 20. Matth. 28. v. 19. 20. (n) 1. Thess. 5. v. 21. 1. Johan. 4. v. 1. (o) 2. Pet. 1. v. 19, 20, 21. (p) 1. Pet. 4. v. 11.

**VIII.** *Speciatim; pro parte potestatis Ecclesiasticae JUDICIARIA tantum: quae a Theologis nar' ἐξουίᾳ potestas clavium regni caelorum, cum scriptura (q) appellatur.*

(q) Matth. 18. v. 18. Job. 20. v. 27. Matth. 16. v. 19.

**IX.** *Atq; ex hac distinctione duo videre est: Unum; Hanc*





Hanc appellationem impropriad esse, non propriam: ab œconomis ad ministros Ecclesie, similitudine quadam, sub metaphorâ metonymicâ translata! Nam ut materialium traditio clavium, infert respectum ad Patrem familiâs tradentem: ad œconomum accipientem: ad domum, cujus administranda gratiâ traduntur: Sic spiritualium impositio, relationem infert ad Christum, à quo; ad ministros, quibus; ad Ecclesiam, cujus administranda gratiâ imponuntur. Ille enim est pater familiâs: (r) Isti sunt œconomi: (s) Hæc Dei est domus. (t) Quare ut illic traditione clavium confirmantur in munere suo œconomi: Ita hic delegatione potestatis auctorantur ministri. (u)

(r) Matth. 20, v. 1. (s) 1. Cor. 4, v. 1, 2. (t) 1. Tim. 3, v. 15. (u) 2. Cor. 13, v. 10 Marc. 13, v. 34.

X. Alterum; Non hic sermonem esse de quacunq; clavi, verum Regni cœlorum: quâ abs Vi efficaci CLAVIS: ab Actu duplici in plurali, Claves: à termino per se intento, Regni cœlorum, non Inferorum: ab utroq; ; CLAVES aperiendi aliquibus regnum cœlorum, reliquis claudendi dicuntur: Quo solo etiam significatu hoc loci à nobis considerantur.

---

## CAPUT II. DE NATURA CLAVIUM RE- GNI COELORUM.

I. Quæ verò est illa POTESTAS clavium Regni cœlorum? Est (ut nunc πρὸς πρῶτον & dicamus) Potestas Ministerij Evangelici, à CHRISTO Domino Ecclesie militanti immediate delegata, quâ illius nomine, ministrorum legitimorum operâ, partim prædicatione verbi, partim censura judicij, fidelibus peccati obligatione solutis, cœlum





apertum; infidelibus reatu proprio ligatis clausum esse, illic gratia, hic ira divina testificatione affirmatur declaraturq; ad gloriam Dei & Ecclesia adificationem. [a]

(a) Johan. 20. 21. 22. 23. Matth. 16. 19. Matth. 18. 15. 16. 17  
2. Cor. 13. 10.

II. Hujus finitionis ratio ut sit planior & plenior, primò rem Absolutè; quoad Substantiam & Usurp: Et substantiam cum totam, ex Genere & differentiâ, & causis & proprietatibus collectâ: tum partes substantia, secundum partes integrantes: Usurp autem ex Actu & Efficacia: Deniq; eandem Relatè per comparationem cum potestate Politica, estimare necesse est.

III. GENUS EST POTESTAS; quam Græci ἐξουσία: Latini Authoritatem dicunt: Potestas inquam, non qua vulgò Juris est, qua quis dominium habet in res proprias, suo, non alieno juri (a) subjectas: sed Officij, qua ministris datur ab eo, cujus sunt ministri. Prior enim est Christo soli data; (b) Presbyteris & Episcopis Ecclesia per Petrum adempta; (c) à Paulò, summis Apostolis haur inferiore, rejecta: (d) tanquam Christi majestati, & Ecclesia libertati contraria: (e) Posterior; custodibus regni, per ministros ordinariè administrandi à Domino relicta. [f]

(a) Rom. 9. v. 21. Act. 5. v. 4. (b) Matth. 28. v. 18.  
Joh. 5. v. 27. & 17. v. 2. (c) 1. Pet. 5. v. 3. (d) 2. Cor. 1,  
v. 24 (e) 1. Cor. 7. v. 23. (f) Marc. 13. 34.

IV. Deinde est potestas Officij, non politici, sed Ecclesiastici: eòq; rursus non αυτοκρατορικὴ, (g) sed υπερευχική, (h) voce Ministerij Evangelicij indicata: que Differentia clarior futura est, si causas ordine explicemus: Efficientem, Materiam, Formam, & Finem.

[g] Luc. 22. v. 25. (h) Marc. 13. 34.

7. Effi





**V.** Efficiens **PRINCIPALIS** & autor potestatis  
hujus est **CHRISTUS**; qui eam ut Dominus pro sua aucto-  
ritate (g) solus dare potuit: pro libertate dedit: (h) pro  
autoritate Clavium nomine insignivit: (i) pro dominatu,  
ut recte exerceretur, mandavit. (k) Unde etiam potestas  
Domini nostri Jesu Christi dicitur. (l)

(g) 2. Cor. 5. v. 18. Dan. 4. v. 35. (h) 2. Cor. 8. v. 10. (i)

(k) Matth. 16. v. 19. Matth. 18. v. 17. (l) 1. Cor. 5. v. 4.

**VI.** Efficiens **INSTRUMENTALIS**, quatenus pote-  
statem delegatam habet, est **VERA CHRISTI EC-  
CLESIA**: (m) quatenus eandem exercet, est Ministerium  
Ecclesie: [n] quod olim in Apostolis, Prophetis, Evangelistis,  
&c. temporarium fuit: hodie pro statu Ecclesie in Pasto-  
ribus, Doctoribus & Presbyteris dominicâ sanctione pe-  
tuum consistit. Habet enim Vera universa Ecclesia hanc po-  
testatem, à Christo immediatè acceptam: habet cujuslibet  
loci Ecclesia vera particularis: habent cujusvis vera parti-  
cularis Ecclesia pastores & presbyteri; cum seorsim sin-  
guli, (quamvis non utramq; singuli) tum plures collecti, in  
synodo aut conventu congregati: non quâ homines, sed quâ  
ministri, ratione ministeriorum, quibus & quatenus illis  
à Deo, pari potestate commissis, coram Deo funguntur. (o)  
Pastores quidem, gratiam aut iram Dei annunciando per  
verbum: (p) presbyteri autem unâ cum Pastoribus, gra-  
tia aut ira censuram agendo per judicium; & dirigenda  
etiam privatas monitiones fratrum singulorum, (q) per  
presbyterium.

(m) 1. Cor. 5. v. 4. [n] Matth. 18. v. 17. (o) 2. Cor. 13.

v. 10. (p) Act. 20. 17. 20. 1. Pet. 5. 2. 1. Tim. 6. 2. (q) Ibid.

Matth. 5. 22. 34. Heb. 10. 24. 25.

**VII.** **MATERIA** circa quam, hoc est Objectum ma-  
teriale, circa quod exerceri potestas potest, sunt **HOMINES**,





ab Apostolo in τὰς ἑσθῆσιν ἕξω distincti, (r) utriusq; sexus, omnigena conditionis seu status & officij: Formale; cuius in-  
zuitu materiale potestati huic subjacet, sunt VITIA: sive ea  
ratione objecti sint errores in Fide, aut vita peccata: sive  
ratione Adjunctæ Notitiæ sint publica, aut privata: sive  
ratione adjunctæ gravitatis, Schismata, hæreses, ἀποστασία  
à fide: delicta aut scelera in vita: Erga Deum (s) erga  
proximum (t) erga nos ipsos (u) commissa.

(r) 1. Tim. 3. v. 7. 1 Thess. 4. v. 12. Coloss. 4. v. 5. Marc. 4.

v. 11. (s) 2. Sam. 24. 10. (t) Genes. 4. 8. (u) 1. Cor. 6. 18.

Tit. 2. 12.

VIII. FORM A, secundum quam potestas exerceri de-  
bet, consistit, cum in conformitate actionis ad verbum,  
vel permissionis, vel comminationis à parte Dei: tum in  
positione conditionis, nempe fidei vel incredulitatis,  
resipiscentiæ aut impœnitentiæ, à parte hominis, in  
quem est exercenda: Qualis à Christo præscribitur, (a) & à  
Paulo (b) ad hypothesein applicatur.

(a) Matth. 18. v. 15, 16, 17, 18. [b] 1. Cor. 5. v. 4, 5. 1. Tim.

5. 20.

IX. FINIS potestatis delegate ultimus est Gloria  
Dei, cum Gratia insolutis; tum Justitiæ in ligatis decla-  
randa: (c) Intermedius Communis est Ædificatio  
Ecclesia: (d) scandalorum Evitatio: (e) Verbi à contem-  
ptu: Sacramentorum à profanatione Vindicatio: [f]  
Decorj & Ordinis conservatio in Ecclesia. (g) Singularis  
autem, Castigatio improborum; Directio & custodia  
proborum, ne scilicet improbi probos corrumpant: sed pro-  
bi timeant; [b] improbi pudore victi resipiscant, & Spiri-  
tus ipsorum salvetur in die Domini Jesu, tum à morte, tum à  
resurrectione imminentis, (i)

(c) Matth.





[c] *Matth. 3. 10. 12.* [d] *2. Cor. 13. 10.* (e) *1. Cor. 5. 6.* [f] *2. Cor. 10. 6.* *Matth. 7. 6.* (g) *1. Cor. 14. 40.* [h] *1. Tim. 5. 20.* *Ephes. 5. 3.* (i) *2. Thess. 3. 14.* *1. Cor. 5. 5.*

CAPUT III,  
DE PROPRIETATIBUS CLAVIUM  
REGNI COELORUM.

I. *Ex dictis, cuius facile esse potest colligere PROPRIETATES Potestatis hujus: nempe Immutabilitatem ab Autore: Communitatem ab Instrumento: Universalitatem ab objecto: Determinationem à Forma: Necessitatem à Fine.*

II. *Primo enim POTESTAS isthac CLAVIUM REGNI COELORUM est Immutabilis: quoniam juris divini est, (a) quod immutabile est omni homini; non juris positivi aut humani: Unde neq; ab hominibus insolentibus, quantumvis in eminentia constitutis, mutari ullo modo potest: Non enim homo est qui ligat, sed CHRISTUS: ait Chryso- stomus. (b) Quare, qui contemnit, non hominem sed Christum contemnit. (c)*

[a] *2. Cor. 10. v. 8. & 13. v. 10. Marci 13. v. 34.* (b) *Chryso- st. in Epist. ad Hebr.*

III. *Secundo Communis; quoniam non solis Apostolis, nec dum uni Petro: nec solis Episcopis, nedum Papa: Sed TOTI Ecclesie; (a) omnibus & singulis Pastoribus; totiq; adeo Presbyterio, (b) quod Judaico  $\sigma\upsilon\upsilon\delta\epsilon\iota\omega$  ex institutione Christi. (c) successit, data est. ECCLESIAE; quoad possessionem & fruitionem tanti beneficii: Illi enim ob fidem CHRISTI dictum est in Petro, TIBI dabo claves. PASTORIBUS; quoad dispensationem mysteriorum Dei. PRESBYTERIO a. s. ve in verbo laborantium, si ve mares censentium, quoad Administrationem & Exercitium disciplinae. Nam & illorum & horum*

B

est,





est, pro animabus vigilare (d), doctrinam & censuram curare (e), & administrare bona fidelium, communicato consilio (f).

(a) Job. 20. 23. (b) Matth. 18. 18. (c) Ibid. [d] Heb. 13. 17. (e) 1. Pet. 5. 2. 1. Tim. 4. 11. & 6. 2. (f) Act. 20. 17. & 21. 18.

IV. Tertio; Universalis: quoniam ab auctoritatis Christi reverentia nullus excipitur, neq; Pastorum, neq; Auditorum: neq; Magistratum, neq; Subditorum: in quos hac potestas varie exercetur, cum singulos tum Plures in cœtu collectos, aut ad cœtum fidelium admittendos. (g)

(g) Matth. 3. v. 5. 7.

V. Quarto; Determinata: quia, ut circa res spirituales tantum ad adificationem domus spiritualis occupatur, eodq; spiritualis est; Sic ad Verbum Mandantis, promittentis, & comminantis Christi unice alligatur. Qui Solus conscientiarum [h] Rex est & Judex.

(h) 1. Petr. 2. 25. Matth. 10. 28.

VI. Postremo; Necessaria: quoniam & verbi prædicatione opus est, ut cœlum aperiatur fidelibus, claudatur infidelibus: (i) & Disciplinâ Ecclesiasticâ; quâ si non ad esse Ecclesiæ, (â qua separari potest, salvâ ejus substantiâ) tamen ad bene esse (k) requiritur: siquidem vtrâq; est omnium rerum conservatrix, qua sine si non subito, sensim tamen ruit Ecclesiastica communio, nisi extraordinaria sub veniat Dei actio. Unde neq; veteris (l) neq; novi Ecclesiæ Testamenti carere illa potuit nec etiamnum potest. Disciplinam enim Ecclesiæ, inquit Augustinus (m) qui abiicit infelix est: disciplinam qui non dat, crudelis est.

(i) Luc. 11. 52, (k) 1. Cor. 5. 6 7. 11. 1. Cor. 14. 40. (l) Esdr. 10. 8. Joban. 9. 22. (m) August. de Temp. Serm. 94.

CAPUT





CAPUT IV.  
DE PARTIBUS CLAVIUM RE-  
GNI COELORUM.

I. PARTES potestatis Ecclesiasticae duae sunt: Prædicatio Evangelij; & Censura judicij; Vulgò Disciplina Ecclesiastica; quarum Absolutè possunt, vel Comparatè considerari.

II. PRÆDICATIO Evangelij est, pars prima potestatis Ecclesiasticae seu Clavium, quæ ex mandato Christi, credentibus de Ecclesiâ singulis publicè annunciatur remissio peccatorum, propter meritum Christi, quandiu promissionem Evangelij vera fide amplectuntur: Infidelibus autem Extrà, & hypocritis Intrà Ecclesiâ a universis & singulis ira Dei denunciatur, aeternaq; damnatio, quandiu in sua contumacia perseverant. (n)

(n) Job 20. v. 21, 22, 23. Matth. 16. v. 19.

III. CENSURA judicij est pars altera potestatis clavium, quæ de mandato Christi domestici omnes, in fidei aut vita vitium prolapsi, primum monentur ac corripuntur; post, si impœnitentes & contumaces fuerint, excommunicantur (o): sin emendationem re ipsa declararint, tanquam Christi & Ecclesiâ membra recipiuntur. (p)

(o) Matth. 18. v. 15, 16, 17. 1. Cor. 5. v. 4, 5, 11. (p) 2. Cor. 2. v. 6, 7, 8.

IV. Ea Censura est vel Communis, cui subesse omnia membra Ecclesiâ debent, nullo excepto: vel Propria, cui Episcopi Ecclesiâ & ceteri ministri peculiari ratione sunt subjecti. Quarum prior rursus est vel Correctio fraterna; vel Excommunicatio.

V. Correctio fraterna est actio ad disciplinam pertinet, quæ fratres de admissis lapsibus ex charitate corripuntur, & ad resipiscenciam serio admonentur. Itaq; pro diversitate objectorum seu lapsuum est vel Erroris, vel Peccati: pro diversitate Circumstantiarum vel Privata, vel Publica, privati, vel publici erroris





aut peccati. Ultraq; verò (q) ex Verbo Dei secundum Canonem cbaritatis & Prudentia moderanda.

(q) Matth. 18. 15.

**VI.** Excommunicatio vel est Minor seu Simplex: vel Major & Anathema: Quod similiter duplex; nempe vel Simplex Anathema: (r) vel Anathema Maran-atba. (s)

(r) Gal. 1. v. 8. Rom. 9. v. 3. (s) 1. Cor. 16. v. 22.

**VII.** Minor est, qua in fidem, aut bonos mores, aut ordinem publicum turpiter impingentes, causâ cognitâ, nomine Christi, à communione cœna Domini ad tempus arcentur: donec eorum sive pœnitentia, sive fides & officium, ad afferendum publico scandalo remedium, judicetur sufficiens.

**VIII.** Major est quâ juxtâ normam à Christo traditam, frater in errore aut peccato contumax, causâ cognitâ, nomine Christi à communione cœtus segregatur, & extra Ecclesiam fidelium ejectione Satanae traditur: ut respiciat castigatus, & respicientiâ demonstratâ recipiatur. (t)

(t) 1. Cor. 5. v. 3. 1. Tim. 1. v. 20.

**IX.** Maxima verò & Extrema est solennis Presbyterij spiritu discretionis prœditi, actio, qua extrema Christi, mundi judicis, condemnationi, absq; spe veniæ sceleratus addicitur; seu quod post acceptam veritatis cognitionem in Spiritum Sanctum peccet; seu quod omni censura inemendabilem se præset, deplorata inter homines spei, adventui Dei & judicio relinquendus. Quæ species tertia, cum primâ & secundâ non est imperitè confundenda.

**X.** Nam prima est absentio à communione cœna & susceptione Baptismi: unde tales à veteribus Absenti dicebantur; Secunda est ejectione à communione Ecclesia: quod sub Vet. Testamento erat synagogâ moveri. (u) pro Ethnico Item & publicano haberi: (x) Sub Novo Sathanæ tradi. (y) Tertia autem est maledictioni affinis, cum extremi Anathematis specie & horrèda quadam judicij  
expeç



expectatione conjuncta. Quapropter illius frequentior: istius rarior: hujus (quod de tali peccato nec temere, nec nisi à posteriori in quenquam viventium pronunciandum sit) aut nullus juxta Chrysostomum, (z) aut rarissimus usus est.

(u) Esdr. 10. 8. Johan. 12. 4. & 16. 2. (x) Matth. 18, 17. (y) 1. Tim. 1. 20. 1. Cor. 5. 5. (z) Chrysost. in Epist. ad Hebr. 1.

XI. POSTERIOR species censura est Propria: Eaq; aut in peccatis leviorib; Objurgatio: Aut in graviorib; vel Depositio ab officio: vel ἀφορισμός & Segregatio omnimoda ab Ecclesia, Neq; n. solū Auditores, sed & Pastores cujuscunq; ordinis huic disciplina subijciuntur. Et tātò justius, quātò hi magis Exemplaria gregis esse debent. (a) Præterea non solū ab OMNI fratre, (b) inordinatè se gerētē se jungi fratres oportet, nemine cujuscunq; dignitatis excepto: Sed & scriptura Episcopos quoq; Potestati huic subijcit (c) monendos, corrigēdos, annotandos: Et Paulus Petro τῷ κατὰ πρόσωπον in faciē restitit. (d) Unde si gravius peccarint, aut in fidei fundamentū contumaciter incurrerint, causā legitimè cognitā, à Magistratu legitimo deponi: ὀνόματι καὶ ἀξιώματι exui: pro qualitate delicti & magnitudine scandali, vel publicè vel privatim puriri: inq; contumacia obstinati à Presbyterio, consciā & consentiente Ecclesiā, Anathemate feriri possunt. In quibus ne simus longiores ab Absoluta pergitur ad Comparatam Considerationē PARTIUM, de convenientia & differentia earum breviter dicturi.

(a) 1. Tim. 4. v. 12. Tit. 2. v. 7. (b) 2. Thess. 3. 6. (c) Ibid. v. 14.

1. Tim. 5. 20. & cap. 1. v. 3. (d) Gal. 2. 11.

XII. Conveniunt Genere; Institutore, & Fine. Differunt autem I. Causā ministrante; quoniam ut superius indicatum, predicatio verbi est Pastorum omnium & singulorum: Censura Judicij est Pastorum & Presbyterorum simul. II. Ordine administrandi; quoniam predicatio precedit in Ecclesiā colligenda: Censura sequitur in collectā. III. Objecto administrationis; quoniam predicatio respicit tam



*eas personas qua sunt extra Ecclesiam, quàm eas, qua sunt in Ecclesia: Censura eas, qua sunt in Ecclesia, tantùm. Quid enim meâ interest, inquit Apostolus, (e) etiam de extraneis judicare? Nonne de ijs, qui intus sunt vos judicatis? De extraneis verò Deus judicat. Tantum igitur de Substantiâ potestatis.*

*(e) 1. Cor. 5. v. 12. 13.*

**CAPUT V.**  
**DE USU CLAVIUM REGNI**  
**COELORUM.**

**I.** *USUS potestatis Clavium potissimum conspicitur in Actu & Efficacia illius. Actus verò est Ligare vel Solvere: Claudere vel Aperire (f) Ligare a. hic non est manus aut pedes vinculis induere: non præcipere, non novum onus ferendum alligare, aut pœnâ corporali punire: Sed nomine Dei affirmare, impœnitentem suis peccatis ligatum, hoc est ad pœnam Deo obligatum manere: contrâ; Solvere non est dispensare, aut vincula externa demere, sed nomine Dei affirmare pœnitenti peccata remissa esse, ac proinde obligationem ad pœnam desisse. (g) Similiter Claudere regnum: Est clausum affirmare cœlum peccata facienti: Aperire, est apertum testari ex Deo respicienti. Re ipsa igitur Remissio peccatorum, & Solutio pœnitentium: Item Retentio peccatorum & Ligatio peccantium idem erunt.*

*(f) Matth. 16. 19. (g) Job. 20. 23.*

**II.** *Ceterum hi actus bifariam considerari possunt: Conjunctim prout ab utraq; Divisim prout ab alterâ Parte Potestatis Exercetur: sed ratione diversa. Cōjunctim exercet prædicatio Evāgelij utrumq; actum: Solutionis; cūm credentibus fit vita promissio: Ligationis; cūm non credentibus aeterna mortis opponitur comminatio. Ex adverso utrumq; actum exercet, Disciplinæ administratio: Ligationis; cūm malè videntes, aut ànis èvras corrigit, sceleras*



sceleratos aut contumaces excludit: Solutionis, cum eosdem, respiciant, recipit tanquam Christi & Ecclesia membra In praedicatione igitur claves prius solvunt; deinde ligant: In Disciplina prius ligant, deinde solvunt. In illa solvunt & ligant eosdem vel diversos: In hac ligant & solvunt eosdem, licet non habentes se modo eodem.

III. Divisim a. exercentur maxime in Disciplina: in qua sicut observandi sunt cum Gradus, tum Modi ligationis, tum in Correctione, quam in Excommunicatione: Sic etiam in Solutione ijdem observandi occurrunt.

IV. GRADUS in Correctione lapsuum privatorum observandi sunt tres: Quorum primus; ut qui privatim peccavit, clam & a solis peccati conscijs arguatur; tum si fieri possit, ad resipiscentiam permoveatur. (b) Secundus; ut, si primum monentem non audierit, adhibito teste uno aut altero iterato, sed privatim moneatur: (i) Tertius; ut, si nec hos audierit, re delata ad Presbyterium, ab eo sui officij commonefiat. (k)

(b) Matth. 18. v. 15. (i) Jbid. v. 16. (k) Jbid. v. 17.

V. Contra in Correctione lapsuum, vel ex signis, vel ex testibus publicorum, ut gradibus istis non est opus: Ita publicus peccator, ob scandalum publicum publice statim increpandus est, Pauli testimonio & exemplo (l) coram cœtu Ecclesie Toto.

(l) 1. Tim. 5. v. 20. Galat. 2. v. 14.

VI. MODUS correctionis fraternæ est, ut primum ex charitate, cum significatione benevolentia fiat: (m) Deinde circumstantias observet, sive loci, ne, quod in occulto admissum est, palam arguatur: sive temporis, ne inopportune instituatur, sed unum delicti genus, v. g. fornicationis ἐν εὐτροφίᾳ; alterum, v. g. ebrietatis, post factum non in Ebrio, sed in Sobrio corripiatur: sive personæ, ne superior aut senior acerbius quam fert autoritas & vocatio; inferior & junior mollius, quam fert ætas & conditio;

Verum



Verum ille modestius, hic liberius: Uterq; ex proportione delicti tra-  
ctetur. (n) Tertio patientiam ostendat, ne frater sanandus precipi-  
tantia & impotentia monentis ledatur. Quarto mediocritate  
studeat, ne aut vitia foveantur lenitate nimia, aut nimia severita-  
te non tam adducantur ad salutem homines, quam abducantur à  
salute. Indisciplinata n. patientia fovet iniquitatem: impa-  
tiens disciplina dissipat unitatem.

(o) 2. Sam. 12. 2. (p) Matth. 5. 22.

VII. Nec aliter observati sunt olim etiam GRADUS in Ex-  
communicatione à veteri Ec'lesia. Primus enim dicebatur εὐ-  
καισις, in quo συνισάμενοι: Secundus ὑπόπρωσις, in quo ὑποπίπτον-  
τες vel γονυθλιοντες: Tertius Ἀνρώσις, in quo ἀπροώμενοι: Quar-  
tus πρὸν λαοσις, in quo προκλιοντες; secundum Canones Ecclesia-  
sticos constituebantur: Quorum prim; ad MINOREM; posterior-  
es ad MAJOREM Excommunicationem pertinebant.

VIII. MODUS autem Excommunicationis, (nec cui fiat injuria,  
aut turpis in ea stabiliatur Tyrannidis Pontificie superbia) multa  
requirit. Primum conditionem instrumenti; ut à VERÆ Ec-  
clesie presbyterio universo, legitime electo, cum consensu populi sive  
tacito, sive expresso fiat. (q) Quare, qua vel ab uno solo pro illius ar-  
bitrio, vel à cœtu Anti-Christiano exercetur quotannis die viridi-  
um Excommunicatio, (r) ipso jure nulla est.

[q] Matth. 18. 18.

IX. Deinde Certitudinem objecti; ut tum solos domesticos,  
tùm omnes ex contumaciâ peccantes feriat. (r) SOLOS DO-  
MESTICOS; quoniam de extraneis Ecclesia non judicat; (s)  
nec diversorum cœtuum disciplinas arroganter confundit; nec quos  
in communionem suâ non esse novit, eicere extra eam presumit. SO-  
LOS Contumaces; quoniam unusquisq; suum onus portabit. (t)  
OMNES contumaces deniq; quoniam nulla hominum eminentia  
tanta est, quam non superet autoritas per Ecclesiam judican-  
tis



tis Christi. Quamobrè, ut p̄ Imperatores olim, quos inter Theodosio Senior, (u) Valentinus I. (x) aliq̄; sic hodie Reges, Principes, Magistratus quavis Christiani, Ecclesiastica disciplina sese subijciant in timore Dei, necesse est. Non enim illa minuit dignitatem, sed moderatè imposita, parit moderationem.

(r) 1. Cor. 5. 11. (s) 1. Cor. 5. 12. (t) Gal. 6. 5. [t] Sozom. lib. 7. c.

24. (x) Theod. l. 4. Hist. cap. 5. Tripart. l. 7. c. 8.

X. Tertio Æstimationem meriti; Ut ob vitia non quavis, nec incerta, nec minus gravia; sed cum scelestis & manifeste scandalo-  
sa, tum contumacia innexa, elata manu peccantes & contumaces castiget: sive ea vitia sint per se publica; (y) sive ex privatis per legitimam processionem facta publica; sive in primam, sive in secundam tabulam admissa; sive fidei fundamentum destruentia, sive pietatem aperte oppugnantia; sive manifestam injustitiam prodentia. Underursum apparet; Nec hypocrisis, tantisper dum tecta est hypocrisis, excommunicatione feriri posse; (b) nec quenquam de simplici vitio, nedum incerto, debere: imo ne quidem de graviore, dum abest contumacia: qua sola Excommunicationis proxima causa est (z).

(z) Matth. 18. 17. 1. Cor. 4. 5.

XI. Quarto Circumspectionem judicij; Ut omnibus pratentatis lenioribus remedijs, post, nõ ante exactam causa cognitionem, servato justo charitatis ordine; nõ temerè & festinãter, sed circumspectè & cunctanter, sine cupiditate vindicta, fontem liget. Nam qui alium temere hoc telo ferit, seipsum potius, quàm illum ferit. Contrà, ut cum dolore, inquit Ambrosius, (a) amputatur, quæ putruit, pars corporis, & diu tractatur, si possit sanari medicamentis: si non possit, tunc à Medico abscinditur: Sic Episcopus optet sanare infirmos: postremò, quod sanari non potest, cum dolore abscindat.

(a) Ambros. lib. 1. offic. cap. 27.

XII. Quinto Expressionem termini; Ut excommunicatos communionem vel Sacramentorum, si MINOR sit; vel Ecclesia, eodè vita eterna, si MAJOR; excludat. Quamquam enim à commu-

C

nio-





nione Dei interna non excludit Presbyterium, sed unumquemque proprium suum peccatum: (b) nec à politicâ societate ἀπὸ λῶς separare potest Excommunicatio: (Non enim maritus cum uxore, parens cum liberis, frater cum fratre, Princeps cum subditis politicè conversari, & ex fide juramenti agere prohibetur, quam instituit vel necessitudo, vel Reipublica salus & conditio.) At tamen interdicit aut Sacramentorum, aut verbi, nec non Familiaritatis consortio.

XIII. SACRAMENTORUM; quoniam ita Christus speciali mandato cavet: (c) Unde qui jure excommunicatus est, Sacramenta, si non bonis, at sibi polluit: (d) Cui Sacramentum non ad vitæ præsidium, sed ad exitium valet. VERBI; quoniam qui Satana traditus est, correctore, non Doctore eget: in quo Ecclesia conscientiam, non scientiam desiderat. (e) FAMILIARITATIS; quoniam consuetudine familiari foveretur ipsius contumacia; qua, exceptis officijs necessarijs domesticorū, & tempestivis monitionibus fratrum, omnibus modis in pudorem danda, & domanda erat. (f)

(b) Esa. 59. 20. (c) Matth. 7. 8. Matth. 5. 24. (d) Tit. 1. 15. (e) 1. Cor. 11. 27. 29. [f] 1. Cor. 5. 5. 2. Thess. 3. 14.

XIV. Postremò requirit intentionem consilij, & Moderationem facti. Illam quidem; ne fiat exclusio è regno cælorum absoluta, sed sub conditione perseverantia excommunicatorum in impœnitentia & obstinatione, & cum spe ac consilio emendationis. (g) HANC autem; ne scandala majora aut schismata excitentur; ne excommunicati in desperationem conjiciantur, aut provocentur ad pejora. Tum enim publicè & privatim hortari, [h] & instare satis est: Consultum autem ab exclusionis abstinere, & Domini judicio committere pertinaces.

(g) 1. Cor. 5. 5. (h) Matth. 5. 6.

XV. Sed cum severitas excommunicationis spiritu mansuetudinis temperanda sit semper, (i) ne is, in quem animadvertitur, à tristitia absorbeat; (k) quàm invita ligavit Ecclesia peccatorem obstinatum, tàm prompta SOLVET respicientem filium.



(i) 2. Cor. 2. 6. (k) Ibid. v. 7.

XVI. Ea SOLUTIO consideratur quoad *Causam, Formam, & Proprietates*. *Causa* sine qua non est *Professio & Demonstratio emendationis*: (l) *quarum illa quondam Confessio: Hec Satisfactio Ecclesiastica, propter cetera poenitentiae exercitia, dicebatur*. *Forma* est *Receptio, seu publica, seu privata ad communionem tum Sacramentorum; tum Ecclesiasticae societatis*.

(l) 2. Cor. 2. v. 6.

XVII. *Proprietates autem tres: nempe, ut sit Facilis, Gratulabunda, & Hortatoria*.

XVIII. *Facilis; ex lege charitatis, facile veniam roganti dantis*. (m) *Gratulatoria, ob inventionem perdita ovis* (n): *Hortatoria, ad fidei & animi sinceritatem: nempe ne amplius peccanti quid deterius contingat*. (o)

(m) 2. Cor. 2. 8. 10. 1. Cor. 13. 5. 7. (n) Luc. 15. 8. (o) Job. 5. 14.

XIX. *Quamobrem, simul atq; exclusus resipiscentiam suam probabiliter testatus fuerit, omnem Ligationem conditionatam facilis ac gratulabunda, & hortaria excipiet SOLUTIO*. *Ut non debent peccantes exclusi statim duci pro inimicis, aut pro reprobis haberi, sed diligentissime quari, tanquam qui fuerint olim fratres, & qui denuò fieri possint: Sic quesiti & inventi in communionem Sacramentorum, Ecclesiae, & regni Christi non possunt non recipier & ad mitti*. *Χιλιάς μετανοήσας εἰσελθε: Id est; Millies si peccaveris, & millies resipueris, ingredere Ecclesiam, ait Chrysostomus*. *Tantum de Actu*.

---

## CAPUT VI. DE EFFICACIA CLAVIUM REGNI COELORUM.

I. *EFFICACIA* potestatis clavium est *Firmitudo Sententiae tam ligantis, quam solventis: quae cum predicatione, tum disciplina vā rectè administratā in terris, ratum est iudicium coram Deo in caelis*. (a)

(a) 1. Cor. 5. 4. 5.



II. Ea pendet partim à Voluntate instituentis; partim à Conformitate actionis.

III. A Voluntate instituentis; quoniam ita Christus non solum de clave Ligante, cum Verbi: (a) Quicquid, ait, ligaveris in terra, erit ligatum in cœlis: tum Judicij: (b) Quæcunq; ait, ligaveritis in terra, erunt ligata in cœlo: Sed & Solvente, cum Verbi: (c) Quicquid solveris in terra, erit solutum in cœlis: tum Judicij, (d) Quæcunq; solveritis in terra, erunt soluta in cœlo.

(a) Matth. 16. v. 19. [b] Matth. 18. v. 18. (c) Matth. 16. v. 19.

(d) Matth. 18. v. 18.

IV. A Conformitate actionis; quoniam, ut clave errante irritum est iudicium coram Deo: (Deus enim non vult esse executor sententia aliena, sed sua.) Sic è contrario, Clave non errante ratum est iudicium coram Deo.

V. Quamobrem etiam hoc Ecclesie iudicium legitimum, citra periculum salutis contemni non potest à ligato; nec debet à soluto frustra putari. Nam certiores sunt claves Ecclesie, quam corda & Edicta regia; inquit Augustinus In oper. L. Homil. hom. 15.

VI. Quanquam enim Ligatio vel Solutio bona spiritualia per se non aufert, nec Vi propria confert: eoque nec externa excommunicatio internam communionem per se tollit: At tamen Dei iudicium declarat ostendendo, impœnitentem ab interna communionem esse separatum: & promulgat arguendo, talem quemq; habendum esse coram Ecclesia, qualis est coram Deo. Quid n. legitima clavium administratio est, Nisi promulgatio in terris sententia in cœlis decretæ & cuius thesin subministrat verbum Dei: hypothesin confirmat res ipsa: Conclusionem addit ligati aut soluti coram Deo conscientia: Declarationem verò facit Ecclesia. Non enim qui ligat est homo, ait Chrysostomus: Sed Christus, qui nobis hanc contulit potestatem. (e) Et Thomas: Deus habet claves, ait; per auctoritatem: Christus per Excellentiam: Sacerdos per ministerium. Quare Ministri non damnant nec solvunt operando: sed



declarando & predicando solutum aut ligatum ostendunt. *Quae de substantia & usu clavium dixisse sufficiat.*

(e) Chrysof. hom. 70. ad pop. Antioch. (f) Hugo, Card. in Matth. c. 16.

## CAPUT VII.

### DE CONVENIENTIA ET DIFFERENTIA

POTESTATIS ECCLESIASTICÆ ET POLITICÆ.

I. *Fortassis autem non est alienum à representati, si potestatem Ecclesiasticam cum politicâ, spiritualem cum Civili in super comparemus: cum ad intelligendam illius convenientiam cum hac, & differentiam hujus ab illâ: tum ad explicandam mutuam, at diversam, subjectionem utriusq.*

II. *Conveniunt 1. Autore; 2. Fine; & 3. Officio Communi.*

III. *AUTORE; quoniam utraq; è sancta Dei ordinatione perfecta est. Ephes. 4. 11. Rom. 13. 1.*

IV. *FINE; quoniam utraq; ad Dei gloriam & Salutem hominum directa est: cum, ut multi corrigantur in paucis: tum, ut gloria nominis divini asseratur. Eph. 1. 4. 12. Rom. 13. 4.*

V. *OFFICIO; quoniam utraq; Religioni curandæ, corruptæ ab idololatria repurgandæ, repurgatæ instaurandæ, instauratæ à contemptu & blasphemia vindicandæ, destinata est. 2. Cor. 10. 6. Rom. 13. 4. & 2. 24.*

VI. *DIFFERUNT autem 1. Instrumentis; 2. Objectis; 3. Formis; 4. Finibus; & 5. Effectis propriis.*

VII. *Instrumentis; quoniam potestas Spirituales est delegata Ecclesie & presbyterio: Civilis Magistratui politico.*

VIII. *Objectis; quoniam illa hominem interiorem potissimum adificat: Hæc exteriorem. Illa conscientiam terret aut solatur: hæc VITAM, Illa animam respicit, hæc famam & fortunam.*

IX. *FORMIS; quoniam I. Illa caret Imperio, gaudet ministerio: Hæc, relicto ministerio, fruitur imperio. II. Illa peccatore respiciente non procedit ad exclusionem; nec lapsos defert, ut reddat infames, sed recipit ad gremium matris redeuntes: Hæc nulla*



*laptorum respicientia ratione habita procedit in sceleratos. III. Illa post respicientiam, castigati censuram retractat: Hæc post iudicium, nec iudicium, nec pœnam revocat. IV. Illa contumaces punit Dei verbo, cuius vis penetrat ad conscientias: Hæc iram in malos exercet gladio, cuius acies desinit in corporibus, nec ad animas pertingit. Luc. 22. 25. Matth. 10. 28. Rom. 13. 4. 2. Cor. 2. 6. 7. 8. 9.*  
*X. Finibus; quoniam I. Illa obedientiam requirit internam & externam: Hæc in externa acquiescit. II. Illa peccatoris fidem ac respicientiam: Hæc iudiciorum iustitiam, & Reipublicæ pacem quarit. 2. Cor. 4. 2. Rom. 13. 5. 6. 7.*  
*XI. Effectis deniq; quoniam Hæc Pastores non rectè docentes, in officio negligentiores, aut enormiter delinquentes, non tantum increpare, stipendij parte ad tempus privare, sed omnino etiam se opus sit, ab officio removeere potest: (a) Illa magistratum idololatram, impium, aut Tyrannicum loco moveere, principatue aut regno exuere nec potest nec debet. (b)*

(a) 1. Reg. 2. 26. 2. Chron. 24. 6. (b) 1. Pet. 2. 18.

## CAPUT VIII.

Επίγειος Αὐατονευασιον.

I. Quæ cum ita sint, apparet satis, quo loco sint habenda, cum illa Papicolarum monstrosa Dogmata; tum Facta superba Paparum: quæ sunt superius circa doctrinam Clavium aphorismo proœmiiali 2, 3, 4, indicata.

II. Primùm, quoad Dogmata, falsum est: Claves regni cœlorum soli Petro promissas, aut datas esse. Non enim I. tale quid ex verbis promissionis Christi sequitur; Tibi dabo claves: Ergo Tibi soli. II. Nec quidquam Petro Matth. 16. v. 19. promittitur, quod non reliquis Apostolis Job. 20. v. 23. detur: Alioquin etiam mortuo Petro vis clavium omnis intercidisset. Quin contra, III. Hoc dictum, Tibi dabo claves (inquit (a) Origenes) cœteris quoq; est commune: cui similiter Hilarius (b) & Hieronymus (c) attestantur.

(a) Orig. in Matth. Tract. 1. (b) Hilar. lib. 6. de Trinit.





(c) Hier. adv. Jovin. lib. 7.

III. *Secundò falsum est*: Claves regni cœlorum Petro principaliter & propriè, (*hoc est in persona propria*) promissas aut datas esse; cœteris Apostolis cum quadã subjectione ad Petrum. Nam nec I. Petrum Christus principaliter interrogavit, Matth. 16. v. 15. Nec II. Petrus in persona propria, sed nomine omnium respondit. Nec III. reliqui Apostoli erant Apostoli Petri, sed Christi: Nec IV. unquã per Petrum Apostoli ordinati fuisse leguntur. Quorũ tamen utrumq; erat necessarium ex hypotbesi adversariorum, per claves ordinem & jurisdictionem intelligentium. Quin contrã: Hoc (*inquit Cyprianus (d)*) erant utiq; & cœteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari cõsortio præditi, & honoris & potestatis. Augustinus autem (e) Petrus (*inquit*) quando claves accepit, Ecclesiam sanctam significavit. Quod confirmat Paulus, qui hanc Potestatem cum aquè ac Petrus, tunc contra ipsum PETRUM rectè usurpavit. (f)

(d) Cyprian. de simplic. Prælat. (e) August. Tract. 50. in Johan. & lib. de Agone Christi. cap. 30. (f) 1. Tim. 1. 20. Galat. 2. 8. 11. 14.

IV. *Tertiò falsum*: per Claves regni cœlorum Matth. 16. v. 19. intelligit totius Ecclesiæ Summam aut Monarchicam potestatem. Quod enim I. Matthæus enunciat metaphoricè, Johannes [g] exponit propriè, de remittendi aut retinendi peccata potestate, quæ non est Monarchica, sed *Decemonica*: II. Et quod est apud Matthæum potestas solvendi vel ligandi peccatorem; hoc est apud Johannem potestas remittendi aut retinendi peccata, obligantia peccatorem ad penam. Unde peccatorum remissio (*docente (h) Augustino*) solutio est.

(g) Joh. 20. v. 23. (h) August. in Ps. 101. Serm. 2.

V. *Quartò falsum*: Potestatem ligandi & solvendi datam Petro, datam esse Pontifici Rom. Nec enim ille Petri, sed Caipha, successor est: utpote carens fide PETRI.

VI. *Quintò falsum*: Roman. Pontificem, vi clavium Petro datarum, habere coactivam potestatem, ferendi leges in conscientia obligantes, & earum transgressores excommunicatione, interdicto, aliisq; pœnis spiritualibus mulctandi. Neq; enim potestas clavium Petro data, fuit potestas coactiva.





VII. Sextò falsum: Solum Pontificem jurisdictionem suam immediatè habere ab ipso Christo; Reliquos a Episcopos, quicquid potestatis habent, à Pontifice capere. *Nec enim Christus Petro principaliter: nedum Papa Rom. sed toti Ecclesie clavium potestatem immediatè dedit.*

VIII. Septimò falsum: Pontificem, vi consequentis, per potestatem claviù habere potestatè summam in rebus politicis seu imperij; Unde possit jure leges etiam civiles condere, Reges & Principes arbitrato suo constituere, aut deicere; regnaq; hujus mundi transferre, prout Ecclesie (Romana) expedire putaverit. *Totum enim hoc 1. definitioni clavum; 2. & discrimini potestatis Spiritualis ac Civilis; 3. & dehortationi Serratoris; (i) ipsiq; adeo exhortationi Petri è diametro (k) repugnas.*

[i] Luc. 22. v. 25. 26. (k) 1. Pet. 2. v. 18.

IX. Quoad Facta autem, ANTI-CHRISTI certum est indicium; quòd I. qui Servus servorum vocatus, Dominus Dominorum esse cupiens, Rom. Imperatori subditus esse noluit; II. Principes & Imperatores deposuit; III. potestatem deponendi Principes sibi ipsi stabilivit. Quorum illud in Sylvestro II. (l) & Bened. IX. (m) Illud in Gregorio VII. sive Hildebrando: [n] Hoc ab Innocentio III. (o) demum cepit.

[l] Platina in ejus vita. *Alphonf. Garfias de Academ. & doctis viris.* [m] Benno de vita Bened. IX. (n) Sigebert. Chron. in Ann. 1088. (o) in Concil. Later. ann. 1215.

X. Deinde, quòd idem putativus Christi Vicarius, integras Ecclesias, Evangelium Christi sanctè professas, excommunicare præsumpsit; quas excommunicare non potuit, si personam excommunicantis; non debuit, si excommunicationem ipsam, & excommunicatos spectes. Non potuit, quoniam judex Evangelicorum incompetens & suspectus est: Hostis capitalis & publicus; ob hæresin & idololatriam infamis; religionis cauponator & Simoniacus: demiq; in propria causa reus, testis, actor, judex: null. in corpus Christi mysticum jurisdictionem habens. Non debuit; quoniam divino juri adversatur, quod quenquam ob fidem veram, cultum sincerum, aut opera bona excludi vetat. Deinde falsa fictaq; causa nititur: Tertio defectu ordinis judicialis, & formula stulta abutitur. Deniq; in eos stringitur, qui communionem cum Ecclesia Papanâ nunc Romana nullam, Christo jubente, (p) profiterentur,

(p) Apoc. 18. v. 4. 2. Cor. 6. v. 14. 15. 16. 17. 18.

F I N I S.



617.


di

m-

22.









25

24

ΟΙΚΟΝΟΜΙΑ

# CLAVIUM REGNI

## COELORUM;

*Solo Illo Hero,*

Deo ac Domino nostro IESU CHRISTO  
annuente,

*Sacris et tabulis repetita;*

ut

Super illius *κατορθώσεις*

PRESIDE

# VVOLGANGO CRELLIO

D. Theologo & Professore

